

P V I S

1 6 1 8



- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugensæii distributio Methodica Historiæ passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delineatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Fubilicæ Evangelicæ.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Professoris Francofurtensis Disputatio Theologica.
- X. M. Sachsii Disputatio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bermanum et Ungermannum.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Godefridi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Füsseli Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de Libertate in Conversione Homini Concurrente.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesia.

Maa B.

APHORISMI
EX
THEODORETI

Dialogo Secundo, qui inscribitur ἀποβυχου &, excerpti, breviter, ubi opus visum fuit, illustrati, (quibus accessit & appendix ex Tertio, qui inscribitur ἀναγής.)

ET

AD PLACIDAM DISSERTATIONEM IN ILLUSTRIGY-

mnasio Soraborum (in quo nuper Dialogorum Theodoretii Analysis Logica & Theologica tradita fuit) publicè propositi:

P R A E S I D E

M. JOHANNES THEOPOLDO,
SS. THEOLOGIAE PROFESSOR,
& Ecclesiae ad Nicolai
(ut vocant) Pastore.

Respondente

ANDREA IOSAEO, SERVESTANO
Anhaltino.

Calendis Martij, hora VIII. matutina.

Servestæ excudebat Zacharias Dörfferus.

Anno M. DC. XI.

A P T O R I S M I

DIALOGOT HERBIBORUM

AD PLACIDAM DISSER

TATIONEM IN HERBIBORUM

M. JOHANNES THEOPHILUS

THEOLOGUS ET PROFES

sor & Ecclesie Nicolai

(in Regio) /

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES

ANDREAS JOHANNES





A P H O R I S M I

E X

DIALOGO THEODORETI

S E C U N D O.

I.



Tiam post ἀρεαν ένωση seu arctissimam illam & perpetuò durantem unionem, duæ in Christo naturæ αίσυγχύτως distinctæ manent.

II.

Non enim duæ illæ naturæ post unionem conflatae sunt in unam, nec, alterâ manente, deleta est altera.

III.

Nec putandum est, absorptam esse (καταποθίναι) Humanitatem à Divinitate, sicut gutta mellis, aquæ maris permixta, statim absorbetur & evanescit.

IV.

Mare enim & gutta mellis sunt res corporeæ, & ὁμογενεῖς: Divinitas verò & Humanitas sunt planè ἑτερογενεῖς.

V.

Non igitur absurdum est, cognatas naturas temperari, aut alteram absumi ab altera.

VI.

Simplex autem & incomposita natura, quæ omnia continet, quæq; est incomprehensibilis & incircumscripτα, quomodo potest dici absorpsisse eam, quam assumpsit, naturam?

A 2

Diffe-

VII.

Differentia enim inter Divinitatem & Humanitatem est infinita, & tanta, ut nulla inter eas veræ similitudinis imago reperiri possit.

VIII.

Quid? quòd etiam in rerum naturâ quædam inveniuntur, quæ sine Confusione temperantur, & sincera manent.

IX.

Exempli Causa: Lux orta & aër temperantur quidem, non tamen confunduntur; &, luce recedente, manet aër.

X.

Item: Ignis & ferrum, conjunguntur quidem, ununtur, & temperantur: & tamen ferri naturam ignis non mutat.

XI.

Hanc similitudinem eruditè tractavit & luculenter exposuit Damascenus lib. 3. c. 15. Orth. Fid. & ad inconfusam duarum in Christo naturarum, & naturalium proprietatum unionem accommodavit. Unde sequentia quinque oriuntur axiomata, quibus realis idiomatum & actionum communicatio, quam *πρωτοχριστιανική* fingunt, funditus evertitur.

1. In gladio ignito, ut duæ sunt naturæ integræ, ac ideo duæ actiones: sic in persona Christi duæ sunt naturæ integræ, ac duæ actiones.

2. In gladio ignito, ut ferrum secandi, ignis urendi virtutem retinet, adeò ut sectio ferri, ustio verò ignis sit effectum: Sic in persona Christi actiones omnipotentes divina natura, humanas humana retinet, adeò, ut divina Deitatis, humana verò Humanitatis sint effecta.

3. In

13. In gladio ignito differentia essentialis utriusq; servatur, licet neq; sectio sine ustione, neq; ustio sine sectione fiat, quàm diu unio illa durat: Sic in persona Christi utraq; natura servat suam essentialem differentiam, licet in Deivirili (*θεανδρική*) actione non separentur, sed utraq; agat, cum communiōne alterius, quod suum est.

4. Ut, propter duas actiones naturales, in ferro ignito, duos gladios non dicimus: sic, propter duas actiones naturales, in persona Christi, duos Christos non facimus.

5. Ut, propter unitatem gladii igniti, differentiam naturalem & actiones gladii & ignis non confundimus: sic, propter unitatem personæ Christi, differentiam naturalem, & actiones naturarum, non confundimus.

XII.

Quæ cum ita sint, manifesta est insania, naturæ sinceræ, & omnis alterationis expertis confusionem, & in beneficium generis humani assumptæ deletionem, mente cogitare.

XIII.

Si enim ἀφανισμός sive abolitio assumptæ naturæ post unionem facta esset, aut κατέποσις sive absorptio, aut μεταβολή sive mutatio in essentiam divinitatis, non haberet massa nostræ naturæ priorem περιγεγραφήν seu circumscriptionem.

XIV.

Quòd verò, post ἀκρῶν ἐνωσιν, id est, arctissimam illam unionem, Humanitas Christi nequaquam propriam amiserit naturam, inde manifestum est, quòd, post conceptionem, τὸ ἐμβρυον sive fœtus fuit in utero, & po-

Ita τὸ βρέφους sive infans in lucem editus, & sic appellatus est ab Angelis & Pastoribus, & ab his adoratus. Deinde circumciscus est, & crevit, & profecit ætate & sapientia, & esuriit, & sitiit, & iter fecit, & defatigatus dormivit, & variis affectus contumeliis mortem crucis passus est Christus.

XV.

Nec post Resurrectionem ex morte Humanitas Christi suscepit mutationem in Divinitatis naturam.

XVI.

Nam & incredulis discipulis monstravit manus & pedes, & intravit ad ipsos, januis clausis, &, cum discipuli suspicarentur, se Spiritum videre, refutavit hanc suspicionem Dominus, & carnis naturam demonstravit.

XVII.

Quid enim, inquit Luc. 24, turbati estis, & cogitationes ejusmodi ascendunt in cordibus vestris? videte manus meas, & pedes meos: quia ego ipse sum. Contrectate me & videte: quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habentem.

XVIII.

Jam cogita, quam accurata sit oratio Christi. Non dixit: Contrectate & videte me (τὸν λόγον θεοῦ) carnem & ossa existentem, sed habentem: ut ostenderet, ἄλλο μὲν τὸ ἔχον κατὰ τὴν φύσιν, ἄλλο δὲ τὸ ἐχόμενον, id est, aliud quidem esse, quod habet, secundum naturam, aliud verò id, quod habetur.

XIX.

Quemadmodum enim ἄλλο μὲν ἔστι τὸ λαβόν, ἄλλο δὲ ληφθέν, id est, aliud est assumens, aliud verò assumptum: unus autem ex ambobus consideratur Christus: ita habens, ab eo, quod habetur, plurimum differt, nec tamen

hæc

hæc differentia hoc modo consideratum Christum in
duas dividit personas.

XX.

Præterea Dominus, cum adhuc dubitarent discipu-
li, & cibum postulavit, & sumtum comedit, neq; falsâ
atq; fallaci specie cibum consumens, neq; corporis
indigentiam explens, sed hoc modo Resuscitationis
certitudinem confirmans.

XXI.

Nec verò inde sequitur, omnes homines post re-
surrectionem cibum capturos.

XXII.

Τὰ γὰρ Διά τινα ὁικονομίαν, ἀπὸ τῆς σωτῆρος γενόμενα, οὐκ ἔστι κα-
νὼν καὶ ὄρον τῆς φύσεως, id est. Nam quæ per quandam di-
spensationem à Domino facta sunt, ea non sunt regula
& terminus naturæ.

XXIII.

Licet verò Corpus Christi post Resurrectionem fa-
ctum sit ἀφθαρτον, ἀπαθές καὶ ἀθάνατον, hoc est, corruptio-
nis expers, impatibile & immortale: tamen propte-
rca non desit esse corpus.

XXIV.

Aliàs enim sequeretur, etiam omnium hominum
corpora resuscitata in aliam essentiam mutatum
iri.

XXV.

Omnia enim incorruptibilia & immortalia erunt,
teste Apostolo 1. Cor. 15. vers. 53. oportet corruptibile
hoc induere ἀφθαρσίαν, & mortale hoc induere ἀθάνα-
σίαν.

XXVI.

Manet igitur natura, sed mutatur ipsius
corruptio

corruptio in incorruptibilitatem, & mortalitas in immortalitatem: siquidem mors & corruptio accidentia rectè appellantur & sunt: non autem essentialia.

XXVII.

Dominicum igitur Corpus incorruptibile quidem resurrexit, & impassibile, & immortale, & glorificatum, &c: Corpus tamen est, priorem habens περιγραφήν seu circumscriptionem.

XXVIII.

Denique, Corpus Christi etiam post ascensionem in Cælum non esse in Deitatis essentialiam mutatum, Scriptura Sacra perspicuè testatur.

XXIX.

Apostolus enim Paulus (Act. 17.) Christum jam sedentem ad dextram Dei, & inde rediturum ad iudicium, nominat VIRUM: & sancti angeli (Act. 1.) dicunt, ipsum venturum ita, sicut discipuli eum viderint euntem in Cælum.

XXX.

Quid? quòd ipse Dominus inquit, Matth. 26. videbitis Filium HOMINIS venientem in nubibus Cæli?

XXXI.

Illud etiam, Sedere super sedem gloriæ, & statuere oves quidem à dextris, hœdos autem à sinistris, τὸ περιγραμμένον, id est, circumscriptionem, notat, Matth. 25.

XXXII.

Circumscriptum autem scimus esse id, quod ab hominibus conspicitur. Invisibilis enim est natura ἀπερίγραπτον seu incircumscripta.

Porro

XXXIII.

Porro audiamus Prophetam Zachariam dicentem, cap. 12, videbunt, quem confixerint. Quomodo autem respondebit vaticinio eventus, si Crucifixo- res non agnoscent, quam crucifixerunt, naturam?

XXXIV.

Audiamus quoque gloriosum victorem Stephanum clamantem, Act. 7. Ecce, video Caelos apertos, & Filium HOMINIS, stantem à Dextris Dei. Vidit autem Stephanus visibilem, non invisibilem, naturam.

XXXV.

Audiamus Apostolum, dicentem ad Phil. 3. Nostra conversatio in Caelis est, ex quo & Servatorem expectamus, Dominum Jesum Christum; qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso.

XXXVI.

Expressè Paulus Corpus Domini, etiam post Ascensionem in caelos, nominat Corpus.

XXXVII.

Non ergo in aliam mutatum est naturam: sed mansit & manet corpus, divinæ gloriæ plenum, & spargens lucis radios, cui Sanctorum corpora erunt σύμμορφα seu conformia, κατὰ τὸ ποιεῖν, ἔ κατὰ τὸ ποσόν, id est, secundum quale, non secundum quantum. Unde ejusmodi nascitur ratiocinatio:

XXXVIII.

Si Corpus Christi mutatum est in aliam naturam, sequitur, etiam Sanctorum corpora similiter mutatum iri: & rursus: si Sanctorum corpora characterem suæ naturæ servant: sequitur, Corpus Dominicum similiter propriam essentiam sine mutatione retinere.

B

Sed

Sed Corpus Christi in aliam naturam non est mutatum : Et corpora Sanctorum naturæ suæ characterem servant.

Ergo nec corpora Sanctorum mutabuntur : Et Dominicum Corpus propriam essentiam retinet.

XXXIX.

Ad extremum, Symbola quoque Corporis & Sanguinis Christi mystica, verum Christi corpus post unionem mansisse, demonstrant.

XL.

Sunt enim Symbola veri Domini Corporis & Sanguinis.

XLI.

Ἐστὶν γὰρ εἶναι τὸ τῆς εἰκόνος ἀρχέτυπον, hoc est, oportet enim imaginis esse Archetypum. καὶ ἔτι τὸν τύπον εἶναι ἀληθῆ, id est, & oportet typum similem esse veritati.

XLII.

Cum igitur, post ἀγιασμόν seu sanctificationem seu consecrationem (ut vocant) Symbola illa mystica propriam non amittant naturam.

XLIII.

(Manent enim in priore substantia & figura & specie, & cerni & tangi possunt, sicut antea :)

XLIV.

Ergo nec Humanitas, à λόγῳ Θεῷ assumpta, à propria recessit essentia, quantumvis clarificata seu glorificata.

Appendix



Appendix pauculorum Aphorismorum;

in *Veram Tertii Theodoretii Dialogi, qui inscribitur*
ἀπαγγελία, sententiam indicantibus

I.

Quo sensu & qua de causa Theodoretus in hoc Dialogo abhorreat ab hac enunciatione: ὁ Θεὸς Λόγος passus est carne; manifestum est cum ex Dialogo ipso, & præsertim capite ejus XIII. ubi ita inquit orthodoxus: τὸ Χριστὸς ὄνομα, ὅτι τὸ Κυρίον καὶ Σωτῆρος ἡμῶν, τὸν ἐνανθρωπήσαντα Λόγον δηλοῖ, τὸ Ἐμμανὴλ, τὸ μετ' ἡμῶν Θεόν, τὸν Θεόν καὶ ἀνθρώπον. τὸ δὲ γε Θεὸς Λόγος ἔτωσι, (hoc est, ita nudè ac simpliciter) λεγόμενον, τὴν ἀπλήν Φύσιν, τὴν ἀσώματον, σημαίνει. &c. tum verò palàm fit ex inscriptione ἀνακεφαλαιώσεως hujus ipsius Dialogi, quæ sic habet: ὅτι ἀπαγγελία ἢ τὸ Σωτῆρος Θεότης.

II.

Eutychiani enim & Apolinaristæ, per istius enunciationis Antecedens sive Subjectum, (ὁ Θεὸς Λόγος) intelligebant ipsam Divinam Christi naturã, non verò Personam τὸ Λόγος carne vestitam.

III.

Deinde, enunciationis istius Consequens sive Prædicatum (passus carne) ita interpretabantur, ut fingerent, Divinam naturam corpori συμπεπονθέναι seu compassam esse.

IV.

Cum verò utrúmque hoc commentum ab omnibus Orthodoxis, jam inde ab Apostolorum temporibus,

bus, fuerit rejectum, Theodoretus quoq; id ipsum jure merito rejecit.

V.

Injuriam igitur faciunt Theodoro, qui hanc ejus doctrinam, perperam, & contra ejus mentem, intellectam, cavillantur, vel etiam damnare audent.

τῶ Θεωδώρῳ δόξα ἐν ὑψίστοις, εἰς
αἰῶνας τῶν αἰώνων.




Jh 4245




X 22MA38

VD 17 AC





19



I S M I
O R E T I

*ur ἀούχου &, excerpti, bre-
ustrati, (quibus accessit &
qui inscribitur
s.)*

AM DISSER-
LLUSTRI GY-

uo nuper Dialogorum
s Logica & Theo-
a fuit) pu-
positi:

S I D E
THEOPOLDO,

IÆ PROFES-
æ ad Nicolai
Pastore.

dente
, SERVESTANO
tino.

VIII. matutina.
acharias Dörfferus.
DC. XI.